

085812217

ORATIO

AD SALMANTICENSEM ACADEMIAM

HABITA

A


PETRO GONZALEZ,

Doctore Theologo ac linguae

latinae professore.

PRID. CAL. NOVEMBRIS ANN. DOM.

MDCCCLIII.



SALMANTICAE:

APUD IOANN. VALLEGERA TYP. UNIV.

08281519

ORATIO

AD SALMANTICENSEM ACADEMIAM

HABITA

Δ

PETRO GONZALEZ

Doctoris Theologiae ac Linguae

Latinae Professoris

PRID. CAL. NOVEMBRIS ANNI DOM.

MDCCCXIII.



SALMANTICAE:

EXD. IOANN. VALLEGERA TYP. UNIV.



Cum in causis etiam levioribus initio dicendi apud vos, Sapientissimi Academiae Patres, plerumque commoveri soleant doctissimi quique viri; nemini vestrum mirum sanè videri debet me exigua ingenii vi et ne mediocri quidem scientia praeditum, primum hac in solempni studiorum inauguratione, frequentissimo conspectu vestro atque hoc concursu hominum litteratissimorum, de maximi momenti re disserentem vehementius et gravius fortasse per-

IV

turbari. His quidem à proposito dicendi deterritus penitus discessissem, nisi tantis in angustiis notissima indulgentia vestra, quaestio- nisque ipsius pertractandæ dignitas et magnitudo animum reficeret ac recrearet. Nam plurimis ex rebus, quæ in mentem venire possent, et accurata investigatione et vestra attentione dignis, vix ulla gravior reperietur, quam philosophorum hujus sæculi de natura Dei et de hominum ac totius mundi origine aberrationes expendere. Hæc enim arcana et veterum et recentiorum ingenia ita exercuerunt, ut eorum deliramenta, inanesque rationis conatus satis omnibus documento esse deberent, ea humanæ menti pror-

*

sus impervia atque abdita semper futura, ni divinæ revelationis ope supremaque sapientissimi Numinis benevolentia nobis panderentur. Itaque hac de re non tam mihi copia, quam modus in dicendo quærendus est; missisque superioris sæculi de revelatione erroribus, præcipua nostræ ætatis philosophorum commenta recensere atque impugnare aggrediar. Quamvis enim à sæculo duodevicesimo pauci hucusque anni sint elapsi, philosophicæ tamen speculationes immensum fere jam tum processerunt. Nam cum præsentis sæculi philosophi majorum systemata vel materiam cogitare asserentium, vel saltem omnes cogitationes à sensu repetentium his gravissimis quæstio-

nibus enodandis infirma atque imparia sint experti, nihil intentatum reliquerunt, ut naturam tenebris undique circumfuis obductam rimarentur; quod difficillimum licet assequi se posse arbitrantur, humanæ mentis vim ad summum extollentes, *rationalismique* doctrinam, si ita loqui fas est, inani plausu ubique prædicantes. Attamen impietatis notam et incredulitatis simultatem pro virili á se arcere cupientes, religionem nescio quam cum suo systemate consociari posse vel maximè gloriantur. Catholica igitur dogmata statim amplexuros hujusmodi sectatores religionem passim ore ferentes nemo non arbitraretur, utpote qui ea una humanæ men-

VII

tis tenebras prorsus disjiciant; sed majorum vestigia prementes in oculis ab hoc nitidissimo lumine avertendis pertinacissimi fato quodam misero frustra perseverant.

En summum errorem in quo versantur homines præstantissimo ingenio aliunde à natura donati; qui quidem ut ab hominum mentibus depellatur, bonis omnibus magnopere laborandum est, vobisque præcipuè, Sapientissimi scientiarum Magistri, qui adolescentibus sana doctrina erudiendis atque á tenera ætate informandis præpositi estis. Acrius profectó ingenium rei gravitas postularret, sed ea est veritatis vis, susceptæque causæ excellentia ut vel timidiores vel imperitiores quique me-

VIII

tum omnino corde solvere debeant. Nulla præterea alia re eximium, quo erga studiosam juventutem affectus sum, amorem satius me patefacere posse ratus sum, quam eorum qui nostra ætate à revelatione deviarunt, ut unam rationem ducem sequerentur, errores ipsius oculis subijciendo. Dum igitur præsentis sæculi philosophiam à catholicis dissociatam dogmatis, non secus ac præteriti temporis in præceps ruentem ostendo, vos oro ut attentè bonaque cum venia verba mea audire velitis.

Neminem vestrum latet sæculi decimi octavi philosophos, quorum fama ubique terrarum percrebuit, ratio-

IX

nem in fidei, philosophiam in Theologiae locum sufficere totis viribus enixos, ut objecta quæ studiosorum hominum mentes tamdiu exagitarant, intimius perscrutarentur, Deum scilicet hominem atque universum mundum. Ingenuè saltem se gerentes scopum, quo tela omnia conjiciebant, præ se ferre maluerunt, neminique eorum propositum de religione omni funditus evertenda jam diutius celari potuit. At nostræ ætatis philosophiæ sectatores *rationalistæ* appellati, cum superiorum commenta se rejicere ostentent, in eandem ferè recidunt opinionem, ac eclecticismi cujusdam speciem simulantes à majoribus quidem liberam disserendi facultatem accipiunt, quin revelatis veritatibus

acquiescant aut ullum præstent assensum, sed eas potius contemnunt atque arroganter despiciunt. Idem esse Theologiæ ac philosophiæ argumentum asserere non dubitant. Religionem circa eandem versari materiam ac philosophiam ait percelebris Hegelius; immo hanc illi maximè eo præcellere, quod rerum principia obscure tantum atque confuse à Religione enunciata plane ac evidenter philosophia ostendat. Hegelius autem ipsiusque sectatores nedum eos, qui revelatæ doctrinæ adhærent, odio aut invidia prosequantur, ipsos è contra misericordia commoti ac velut deridentes sic alloquuntur: Itane rudes ac stulti estis, ut adhuc revelata reli-

gione externo cultu ac cærimoniis indigeatis? Ab hac tamen misera conditione tum demum liberi exhibitis, cum splendidissimum scientiæ lumen animum vestrum pervaserit. Revelata igitur religio, si hos audiamus philosophos, est obsoleta ac detrita quædam res, per quam hominum generi erat transeundum, ut temporis decursu ad scientiæ fastigium perveniretur, ad nitidissimumque illum splendorem ab universali ratione hominibus aliquando afferendum, et nostra tempestate jam jam albescere ac ferè emicare incipientem. Humanam rationem eisdem elementis conflata ac divinam se reperisse, Cusinum affirmare non pudet, eundemque in utraque se

XII

gerendi modum, quin ulla inter eas distinctio sit agnoscenda. Hinc ejus sententia divina revelatio nihil aliud est, quam humanæ rationis intra se calescentis effectus, ut Sybilla Cumæa quæ horrendas canebat ambages, ferventioris imaginationis æstu furenter exagitata. Quibus attentè perpensis, cæcutiat necesse est qui non videat ad Cusini mentem omnia esse rationis partes, nihilque revelationi verè divinæ relinqui, aut hanc saltem humanæ rationis imperio et potestati esse prorsus submitendam.

Lerminierus etiam rationis primatum propugnat, ejus tamen facultates ad infinitum usque progredi atque augeri, rerumque causas

XIII

in ipsa ratione includi contendit. Postremo societatibus aliam fidem alia-
ve symbola à philosophia protinus
parari arbitratur, ubi Religio de-
sierit. Lammeneius ardentissimus ille
quondam catholicæ veritatis defensor,
qui nimia superbia elatus ab uno
ad alium errorem misere præcipi-
tem se dedit, veritatem mobilem eo
sensu intelligit, ut novas passim
quasi Protheus possit induere for-
mas, atque etiam in errorem con-
verti. Unde æternam atque immu-
tabilem ipsius veritatis essentiam et
notionem omnino delet, fideique re-
gulam à ratione continuo progre-
diente desumendam ac ipsius muta-
tionibus obnoxiam adstruere non sine
erubescit. Humanam rationem non

à veritate ad errorem aut ex errore vicissim ad veritatem, sed ex una ad aliam veritatem seu veritatis formam procedere asserunt nonnulli. Rerum humanarum mobilitatem ab ipsis ideis pro temporum ac locorum ratione variantibus repetendam contendunt alii, adeo ut quolibet sæculo degentes philosophi suis etiam de erroribus rationem nullam reddere teneantur, quippe à majorum commentis originem ducant; qui vicissim culpæ minime erunt insimulandi, cum in his opinionibus amplectendis sua ætate in honore vigentibus ab omni prorsus crimine immunes fuerint, innoxieque immo et laudabiliter se gesserint. Immensus forem si recentiorum om-

nium deliramenta perstringere vellem.

His etiam omnibus speculationibus ens supremum necessitate quadam sese per creationem exserendi adstrictum confingitur, quippe nulla intersit distinctio finitum inter et infinitum, humanam inter et divinam rationem. Creatio, inquit Leruxius, à creatoris existentia sejungi nequit; unde ipsius non libera sed necessaria actio æstimanda est.

Inter hæc tot ac tanta recentiorum philosophorum commenta unum quiddam conspici licet, quo universi oculos collineant, rationis nempe non individuæ, sed generalis primatum. Cujus doctrinæ summa arctissimo vinculo nectitur cum

XVI

Hegeli sententia asserentis humanam rationem ad eum pervenisse maturitatis gradum, ut propriis possit assurgere viribus ad omnes eas perspiciendas veritates ab hominibus hucusque admissas, tanquam à divina revelatione manantes. Quin et eò est progressus audaciæ, ut in harum cognitione magis humanam rationem nunc introspicere posse affirmet, quam olim homines illi, qui superno lumine collustrati ipsis enucleandis toto nisu incubuerunt.

En brevis atque accurata descriptio, totiusque recentioris philosophiæ summa, universalis nempe rationis primatus catholici veritati sceptrum eripere atque extorquere molientis, quo per octodecim sæcu-

XVII

la tot et tanta sustinuit, orbemque terrarum prospero ac felici hactenus rexit eventu. En, inquam, paucis adumbratam imaginem splendidissimæ illius scientiæ, ad quam hujus sæculi magni nominis philosophi se pervenisse jactitant: hi sunt optimi illi atque maximi, qui feruntur rationis verè insanientis progressus, eorumque lucubrationes, qui sæculo decimonono sapientiæ metam attigisse videntur.

Ad recentioris philosophiæ systema funditus evertendum, præcipua quibus id probare adgrediuntur argumenta impugnare, rationisque universalis commentum, quo veluti maximo fundamento innituntur, prius convellere operæ preti-

XVIII

um duxi. Et quidem si universalis rationis nomine omnium ad unum hominum aliqua de re consensus intelligatur à fide omnino sejunctus, inane quoddam imaginationis figmentum pro veritatis criterio obtruditur, cum in opinionum infinitum dissitarum ac sese mutuo oppugnantium concursu nulla possit esse reliqua ratio, qua universalis hic atque absolutus consensus penitus dignoscatur. Si vero universalis ratio arctioribus circumscribatur limitibus, ac tantum latiori sensu vel quodam habito respectu sit accipienda, quis decernere aut definire possit, quot et quibus gradibus, quove suffragiorum numero hujusmodi consensus insigniri de-

beat, ut vere universalis judicetur? Præsertim cum recens philosophia veritatem sic mobilem ac continuo progredientem induxerit, ut quod hodie verum omnibus videatur, cras erroris nomine traducatur. Unde ergo universalis consensus erit repetendus, cum nihil firmum, nihil constans ac perpetuo verum ponatur? Quo etenim pacto universalis rationis certitudo in tot tamque oppositis sententiis adstrui vel constitui poterit, cum humana hactenus mens crebris illusionibus semper fuerit obnoxia, præteritique temporis historia, si ipsos audiamus philosophos, necessariis passim ac ineluctabilibus hominum erroribus sit referta, quoad nuper ma-

turritatem ac perfectionem attingere
cœpit? Nemo enim nisi desipiat,
inficiari ausit nullam nobis à ra-
tione certitudinem afferri posse de
his quæ nunc ut vera exhibeat, cum
elapsis antehac sæculis non solum
hominum vulgus in devia ac syr-
tes egerit, sed et peritissimos phi-
losophos in turpissimos abire er-
rores sic impulerit, ut nihil sit tam
absurdum, quod ab eorum aliquo
dictum non fuerit. Hanc tamen adeo
mobilem et fallacem rationem ut in
catholicæ veritatis locum subroga-
rent, ac velut unam veri dignos-
cendi regulam constituerent, dies noc-
tesque insudarunt, ipsiusque impe-
rio et potestati omnia subjicere ten-
tarunt, non modo ea quæ sensibus

percipiuntur ac intra creatarum rerum limites concluduntur, sed etiam quæ immortalis ac inaccessibleis naturæ regionibus continentur. Cum igitur universalem rationem nullo firmo ac probabili argumento demonstrari posse satis jam comperitum sit, juvat nunc commenta ex quibus tanquam à turbidissimo fonte hoc universalis rationis systema manavit, perstringere ac trutina examinare. Summa duo hæc sunt totius recentioris metaphisicæ, vel potius insanientis philosophiæ capita, *identitas* primum finiti et infiniti, humanæ et divinæ rationis, deinde veritatis quasi coloris variatio frequens et instabilitas, quibus quidem principiis hominum mentem

instructam ac veluti informatam omnia perficere, novam orbi terrarum faciem inducere, felicitatem falsis imaginibus homines hactenus illudentem, quasi brachiis apprehendere posse sibi blandiuntur, atque arroganter assumunt. At quis non his commentis religionem omnem, mores, officia pessumdari, differentiam virtutem inter et vitium omnino evanescere confestim videat? Quis religionem ullam concipere valet, ubi nulla Deum inter et Dei cultorem distinctio adsit, ut accidere debet cum finitum ab infinito, humana à divina ratione absorpta ponuntur? Unum et idem sunt finitum et infinitum, humana et divina ratio, ajunt rerum metaphisica-

XXIII

rum speculatores venatoresque neo-
terici. Quis non è vestigio planis-
simam contradictionem animadver-
tat cum idem simul affirmari at-
que negari audiat? Ut apertissimam
hanc difficultatem effugiant, ens in-
finitum tantum in rerum natura exis-
tere nobis obtrudere volunt, fini-
taque omnia speciem dumtaxat, men-
tisque illusionem audacissime appe-
llant. At frustra veram mundi exis-
tentiam inficiari, insanumque idea-
lismum quemdam excitare tentabunt
hujusmodi nugatores. Universo ete-
nim hominum generi mundum re-
vera existere certissime constat, et
alta mente repostum hæret, pro-
priaeque dignitatis vividissimum sen-
sum nunquam abs se abripi sinet.

Omnia quidem *eminenter*, ut ita dicam, in Deo quasi prima causa contineri libenter fatemur, sed aliis proprietatibus creatura, aliis creator splendet. Alioqui rerum immensum dissitarum confusione admissa, Deum ipsum hominum perturbacionibus et erroribus obnoxium admittamus necesse est. Impiissima hæc atque infanda deliramenta tantum mente fingere, atque ore enunciare vehementer perhorrescimus. Nullus præterea sana mente ornatus atque à præjudiciis alienus in dubium revocare ausit, Deum mundum creando ita liberrimè se gessisse, ut ab ejus creatione æternum absistere potuisset. Quamvis enim omnibus compertissima sit infiniti ipsius en-

tis virtus atque efficacia ad res è nihilo educendas, eaque supremi Numinis fecunditas sterilitate quidam perfectius videatur, id tamen à creationis necessitate adstruenda toto cœlo fere distat. Nam hæc opinio Deum perfectissima libertate privaret absolutamque ab eo excluderet facultatem perpetuo intra se manendi, si ita potius placuisset utpotequi rebus creatis nullatenus indigeret.

At quis infestissima, quæ ex veritatis mobilis ac sese continuo transmutantis opinione eruuntur consecraria, æquo animo ferre possit? Si veritas nihilfirmum atque immutabile præ se ferat, si nihil in rerum metaphisicarum scientia, nihil in morum doc-

XXVI

trina constans et absolute verum sit agnoscendum, jam nec Deus, nec lex, nec bonum aut malum nobis erit. Ex perpetua enim illa veritatis mobilitate atque inconstantia Deum quisque concipere poterit, vel materialem vel spiritualem substantiam, nunc ut infinitum, dein quasi finitum, aliàs ut causam, aliàs tanquam effectum, hinc verè existentem, illinc omni existentia carentem, seu ut totum mundum quod pantheismum, seu ut nihil quod purum putumque redolet atheismum.

Ex quo autem verum omne perpetuo varianti et instabili faciei subjacens confingatur, nihil in morum doctrina constans, nihil firmum ad-

mittamus necesse erit; officia quæ hodie in præclarissimis virtutibus annumerantur, cras in vitium vertentur. Vitæ perturbationem et confusionem magnam, chaos denique, et non bene junctarum pugnancia discordia semina rerum renasci videremus. Audite nunc Furrierum et Sansimonem ultima ex prædictis principiis consecutaria educentes. Nihil absolutè mali, ajunt effrenes hi rerum omnium perturbatores, in hominum vivendi ratione inveniri potest. Omnia bona sunt, quia omnia sunt quid unum; animi inconstantia, levitas, mobilitas tam sancta innocua et laudabilia sunt, quam constants et servata fides; fluxa hominis et feminæ conjunctio tam est in

XXVIII

honore habenda, quam quæ religionis sacramento legumque sanctione firmatur. Hinc pudoris omnis extinctio, promiscua connubia, vagusque ritu ferarum concubitus, quibus familiæ societas evertitur, tanquam status homini consentaneus atque à natura ipsa institutus traducuntur; vitam quietam et beatam se concipere posse inficiantur, ni omnibus voluptatibus, omnique cupiditati solvantur habenæ. Sed jam ab his tam pudendis ac detestandis commentis mentem et oculos avertamus.

En, adolescentes veritatis studiosissimi, recentiorum philosophorum insanias, qui se veritates omnes universalis rationis figmento as-

sequi posse gloriabantur. Unum hoc ex tota oratione mea ut confidenter eruatis vellem, ex tot tantisque philosophorum aberrationibus demonstrationi de divinæ revelationis necessitate non parum roboris et ponderis addi, si res jam clarissima adhuc confirmatione ulla indigeret. Si enim præstantiores antiquitatis philosophi et græci et romani divinæ revelationis ope destituti tum circa Dei naturam, tum circa hominis conditionem et finem, tum circa præcipua legis naturalis officia in turpissimos prolapsi sunt errores; si et qui sæculo duodevicesimo, nostraque etiam ætate insigniores vulgo audiunt, à revelationis splendidissimo lumine oculos pervicaciter aver-

ipsa admoveat in dubium à ne-
 mine revocari potest. Deus enim
 Optimus Maximus, dei humanas
 mentis tenet rationis ope par-
 tim dispergit, sidemque adversari ne-
 quit eas revelationis lumine interi-
 us collustrant. Id igitur annu pe-
 nis omnibus maximis operandum est,
 ut actus rerum naturae investiga-
 tores cogitatis ac vivificis doctrinis
 propugnatoribus bellum indicendi
 studium abiciant, ac datis tandem
 deus, in veritate et virtutis ditio-
 ne firmata, catholicisque doctri-
 nis societati saluberrimis inculcandis
 alius ali operum, enixè ferant et con-
 jurent amici.
 DIXIT
 quibusdam blaterare solent, calar